



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De clericis qui monachorum propositum appetunt. xxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

lis. Et non sunt consecrandæ alio tempore, nisi in Epiphania, & albis Paschalibus, & in apostolorum natalitiis, nisi causa mortis urgente.

Quod de sponsatam puellam alij viro non sit licitum dare, monasterium autem licet eligere si vult. Ca. XIX.

Ex decr. Eusebii papæ, ca. 10. **D**Esponsatam puellam non licet parentibus dare alij viro, tamen monasterium licet eligere, si voluerit.

Vt aliquis incognitus, non citò in monasterio monachorum recipiatur. Cap. XX.

Ex cõcil. Toletan. cap. 5. **S**I aliquis incognitus monasteriũ ingredi voluerit, ante triennium monachi habitus ei nõ præstetur. Et si intra tres annos, aut seruus, aut libertus, vel colonus quaeratur à domino suo, reddatur ei cum omnibus quæ attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium requisitus non fuerit, postea quaeri non potest, nisi sit tam longè quòd inueniri non possit, sed tantum ea quæ in monasterium adduxit, dominus serui recipiat.

De clericis qui monachorum propositum appetunt. Caput XXI.

Ex eodẽ, cap. 50. **C**Lerici qui monachorum propositum appetunt, & meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

De virginibus sacris, quæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium ire disposuerint.

Caput XXII.

Ex cõcil. Triburi. cap. 11. **V**irgines sacrae, si pro lucro animæ suæ, propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, ibidemque commanere decreuerint, synodus cõcedit. Si verò fuga disciplinæ alium locum quaesierint, perire cogantur.

Quo estitu virgines ad consecrationem venire debeant. Cap. XXIII.

Ex cõcil. Carthagi. ca. 11. **S**anctimonialis virgo, quum ad consecrationem suo episcopo offeratur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, professioni & sanctimoniali aptis.